


Wiener Stadt-Bibliothek.

18413

A



DE ANGELIS

CARMEN,

AD

PRUDENTISSIMUM VIRVM, ERV-
PITIONE ET VIRTUTE CELEBERRIMUM,

D, ADAMVM GALLICVLVM,

CIVEM CREMBENSEM, ET

SCHOLAE NOBILIVM PVE-

RORVM MODERATOREM,

SCRIPTVM

A

Michaële Fiedlero Joachimico:

ITEM

*Elegia, continens Antihesein eorundem per
Adamum Galliculum.*

VIENNÆ AUSTRIÆ EX OF-

ficina Michaëlis Zimmermanni,

Anno M D LXIII.

στασιμικη
DOCTRINA, VIRTUTE, ET
pietate† viro, D. Adamo Galliculo, civi
Crembsensi, & schola nobilium
moderatori:

M. F. I. S. D.

Εὐχάϊμαρ, ἐπίτιμῳ ἀγῆ, ἀρετῆς τε μετὰ
Ευτίδειδ, ἐπῳ, ἔσ' ἄρ' οἶδ' ἄριστορ.
Αλλὰ γὰρ δυ δύναμαι νῦρ ἀκρ' ἀνταποδύνα
Ἴσηρ, δ' ἄρορ ὅπως ἄλλοτε ἄλλῳ ἔχῃ.
Κᾶρ γὰρ γνῶσι δ' εἶν τὸ ἐλεύθεροι ὄμω ἴπῶροι,
Στεγροντῶτε λόγοισ ἡμίτερον φίλιω
Πᾶντα κρατῦντα θεῶρ ὄνρ ἢ πρ' ἀφίεντι λυτράτῃ
Αἰτῶμερ, δ' ὄσα πάντοθεν εὐτύχιαρ
Υφῶμερ ἔλθῶσι λατοῦργικα πνεῦματα, θνήτοιθ
Εἰς φύλακωρ λαοῖσ, πρὸς ἐλατῶντε ἱεράσ.



DE ANGELIS.

Ille dies iterum Phœbeo lumine terras
Illuminat, Sancti Michaelis nomine, castis
Spiritus magno semper celebratus honore:
Ergo nunc etiam cultus testemur eosdem,
Illorum paucis resonantes pectore laudes.

Hos verò Genitor fulgentes luce serena
Finxit, & ignitis flammis, qui sidera cœli
Splendore, & radijs superent præclara, bonoq;
Addicti, & donis virtutum ingentibus aucti
Authorem agnoscant unum, Regemq;, patremq;,
Cuius facta canant diuino carmine, mentem
Lapsibus ignaram teneant, quos nulla potens vis
Dissoluat fati, æterna sed luce fruantur:
Insuper angelicos cœtus hoc fine creauit
Conditor, ut vigiles essent, & obire parati
Fida ministeria excubias seruare piorum.

At magnam partem violenta superbia cepit,
Quam vesanus amor regnandi inuaserat, atq;

Victa animis summo sese præferre parenti
Ausâ fuit, celsa & Christum depellere ab arce.
Hinc satius ipse Deo grauius commotus, acerbo
Conflictu, immansi detrusu turbine in imas
Sedes, fœdifragum Sathanam, lapsasq; phalanges,
Hic ignes sine fine calent, Stygiaq; tenebra
Florum eripiunt oculis cœlumq; diemq;
Nec renocare gradum potis est, sed carcere cæco
Occlusi, centum nodis torquentur ahenis.
Propterea abiecti magno cum murmure circum
Claustra fremunt, variasq; iras in pectore versant,
Immortale odium sed enim Rex summus Auernei
Intus alens, superis tentat perfringere cœlum,
Atq; odio feruente Dei tot tristia facta,
Inuidias, cœdes, & formas mille nocendi
Excitat, ac miseros reprobo sermone fatigat.

Prima velut mulier cecidit delusa per artem,
Æthereos hortos ubi cum consorte colebat,
Immemor edicti, male suadi fraude Draconis,
Postquam gustaret vetitos ex arbore fructus,

Atq;

*Atq; leui persuasa sono mandata seuera
Negligeret Regis, tantorumq; una malorum,
Principium fieret, lachrymasq; & funera terris
Inferret, seros qua multauere nepotes.*

*Est etenim mendax, mendaciaq; impia passim
Spargit, & auxilijs, magnaq; instructus opum vi
Fundamenta sacra doctrina inuertere, nugis
Conatur leuibus, loliumq; ignobile granis
Inmiscere bonis operam dat perfidus hostis:
Inde pios vates, & Christo digna loquentes,
Ingenuas aut qui vitam excoluere per artes,
Præstigijs excire solet, (molimine vafro,)
Inducant varias ut sacro in codice verbis
Formas, & veros ficta sub imagine sensus
Eludant. Alios à tramite flectere certo
Molitur precijs, quibus ampla pecunia cordi,
Atq; voluptates sunt, & breuis ocia vita,
Hi, (crudele nefas) cælum, Christi q; cruorem
Diuendunt auro, proculcaturq; Deorum
Religio, nec enim verbi procedere amorem,*

*Sive ministerij patitur veterator iniquus,
Sed labyrinthiacis ambagibus undiq; mentes
Detinet implicitas, nullo discrimine dicta
Obscuris vera inuoluens, & iurgia lingua
Blasphema iactans, quoniam mortalibus arcem
Inuidet aetheream, potius succumbere letho,
Tartareosq; aditus, ac horrida regna subire
Exoptaret eos, scelerum qui maximus author:
Quodq; velit nullo componi foedere bella,
Et cieat magis are viros, homicida vocatur,
Nam struit insidias, fraudes, & corda malorum,
Instigat furys, incautos dedere morti,
Ipse dolos infert terris, & noxia vitæ
Innumerata, quibus mentes auellere Christi
Amplexu infirmas parat, ut sperare salutem
Amplius haud possint exhausti mole laborum.
Quinetiam morbos, pestes, cœliq; ruinas
Commouet, & laticas segetes, frugesq; repostas,
Per subitos imbres perimit, gelidasq; pruinas:
Cunctaq; corrumpit quæ vitæ postulat usus.*

Vanas

Vanas illecebras magis, incestusq; nefandos
Nutrit, in ipsius scelerumq; licentia regnat
Castris, & dirus furor, ac insania belli,
Religio contempta iacet, sauiq; Tyranni
Undiq; bella mouent aduersus ouilia Christi,
Sancta fides, pietasq; silent, malefacta triumphos
Solennes celebrant, & virtus uertere sedem
Cogitur, ac vicijs manifestis tradere sceptrum.
Nec mihi si centum prodirent gutture lingua
Nomina tantorum scelerum comprehedere possem.

At contra mansere boni, nullisq; ruinis
Degeneres facti caeli de gente ministri,
Qui non imbuti vicijs, nec neetere fraudes
Edocti, castum retinent sine labe pudorem,
Illos cura manet recti, & fulcire ruentis
Religionis opus, cuius fundamenta seruant
Inclinata quasi, & seros transmitters ad annos
Doctrinam puram, & sanctis detrudere ab aris
Mendaces hominum cultus, mandataq; ficta.
Tum ludos aperire student ut parua iuuentus

Imbibat

Imbibat ingenuas artes, formasq₃ loquendi
Linguarum proprias, sanctosq₂ impendat in usus.
Adde quod alituum cœtus velut agmine facto
Regnatorem Erebi reprimant, falsosq₂ ministros
Verbi cœlestis, decretaq₂ frivola perdant,
Impia ne teneras maculent contagia mentes.
Ut quondam cecidit truculenta morte Cherinthus,
Qui ^{verum} aternò genitum non esse ferebat.
Infandos ausus etiam sauosq₂ tumultus
A cœtu prohibent sancto, Regumq₂, Ducumq₃,
Deterrere manus audent quæ bella minantur,
Illis eripiunt animos, pacemq₂ benignam
Suadent, & populos vera in pietate tuentur.
Ærummas hominum lugent, gaudentq₂ vicissim
Si datur à lapsu grauiori surgere rursus.
Hi subitas sistunt turbas, hostesq₂ rebelles
Sternunt, atq₂ vices tali in statione locati
Solliciti seruant, cingentes undiq₃ vallum,
Circum membra DEI, manes & spectra fugantes
Quandoquidem comitantur iter per opaca viarū.

Sic

*Sic etiam Lotho vigilēs sua munera praestant,
Cum piceus Sodomē cœli consumeret ardor.*

*Non aliàs Petrus tenebroso ex carcere prodit,
Hic ubi spontè sua rumpebant vincula cruris.*

*Fussa ministerio peragunt quoq̃, cuncta fideli,
Quando inter medios rictus, faciesq̃ leonum,
Tutus erat Daniel. Nec bellica signa timebat
Assyria gentis, senio confectus Elisa,
Cui manus alituum propè montes emicat ardens.*

*Quin & purpurei penetrarunt in uia ponti
Ebreæ gentes uada, postquam cœlicus ales
Monstraret gressum, precedens nube biformi.*

*Sic Gideon etiam, cœlestis bellica turma,
Cum Midianitum procures, cacasq̃ phalanges
Ingenti trepidare metu, fulgentibus armis
Et uasis ruptis faceret, sonituq̃ tubarum,
Auxilium tulit, ut properata morte perirent
Truncati proprijs gladijs, & mobile vulgus
Præcipiti cuperet cursu sibi ferre salutem.
Hac non humana virtute nec arte sagaci*

Proueniunt, sed enim cœlestium dextera seruat
Alituum, pars militia fortissima nostra.
Namq̄ preces hominum castas super æthera Christo
Apportant alacres, & fata minantia placant.
Quinetiam nostras duro in certamine mortis
Excipiunt animas, superũmq̄ ad limen ituris
Molles ostentant aditus, ubi gaudia uite
Æterna caperent, & cœlica rura tenerent.

Nostra palàm verò pro tantis gratia donis
Splendeat, ut prompti sanctas imitemur eorum
Virtutes saltem, cum non equalia possint
Pramia persolui, nostro fraus exulet ore,
Atq̄ pudoris amor, pax & concordia dulcis,
Possideant fines hominum, & mens conscia recti,
Obsceni mores absint, petulansq̄ libido,
Intima nec mordax capiat præcordia liuor,
Prodiga luxuries, rerumq̄ superfluus usus
Cedat, & in primis scelerum fœdissima nutritrix
Auri turpis amor, culpaq̄ & criminis expertis
Vita sit, ac animi nullus præposterus ordo.

Hac

Hac ratione p̄i custodes atq; ministri,
Seruari poterunt vigili in statione bonorum:
Sicut apes etenim fumo pelluntur amaro
Ut sine melle domos, vacuumq; alueare relinquunt:
Aut velut imbelles putido foetore columba
Ausugiunt summo strepitu: Sic agmina cœli
Flammea, famosis vicij, vitaq; fugantur
Qua laxo freno se tetrīs polluit ausis.

Ergo nate DEI, qui solus maximus, atq;
Verus es Emmanuel, spes atq; potentia victis
Gloria, vita, salus, tua nos clementia seruet
Aduersus Sathana vires, sauosq; furores,
Quos vis nulla potest duro conuellere ferro,
Unus pro cunctis Erebi claustra inuisa nigri
Funditus euertas, Serpente potentior atro:
Instructus sed enim telis, furit improbus, omnem
Undiq; circuitum peragrans, sese occulat umbris
Densis, & qua sit fortuna facillima tentat,
Possit ut incautos sorbente voragine, rictus
Dilatans patulos, ceu belua deglutire.

Et fidos vigiles celeri trans aëra gressum
In terram volitare sinas, dum vera fatiscit
Religio, & saevo quassata Ecclesia motu
Fluctuat, & Sathana manifestam sustinet iram.
Verbum sit clypeus fortis, munusq; docentum
Verbum vivificans sit munitissima turris,
Purpureoq; agni conspersi sanguine puri,
Sub iuga flammivomum possimus subdere Duem
Fac Deus, ac animis ipsi contendere contra.
Tum pavidos ex corde metus, sauosq; dolores
Excussi, letum paena canemus ouantes,
Quod sit parva salus, & claris dextra triumphis
Splendescat summi patris, & quod morsibus ultra
Ledere vipereis non ausit pestifer anguis:
Nec validas poterunt infracti promere vires
Tartarei fratres, nec sceptrum superba Tyranni.
Sic igitur iubare exorto doctrina per orbem
Vera Dei extendet radios, rursusq; vigeunt
Artes flore novo, cum sit Cacodemonis atri
Omnis in humanam superata potentia massam.
Cedant arma togæ pax aurea castra locabit.

ELEGIA
DE ANGELIS,
CONTINENS ANTI THESIS IN
EORVNDENI, SCRIPTA AD
JNGENVVM ADOLESCEN-

tem Georgium Schuartzbeck, filium
prastantiff: Viri D. Joannis
Schuartzpeck, cōsulis Crem-
sensis, affinis sui ob-
seruandiff: per

ADAMVM GALLICVLM.

Angelici duo sunt diuerso munere cœtus,
Candidus ille bonus, perfidus iste niger.
Ille praeest luci, tenebras hic possidet atras,
Splendidus astra tenet, fuscus ad ima ruit.
Ille Deo seruit, sibi diripit alter honores,
Ille fouet pacem, bella sed alter agit.
Ille humilis, constans, leuis est inflatus at alter
Lubrica pratumido pectore corda gerens.

B ij So-

Sobrietatis amans ille est castiq² pudoris,
Hunc iuvat ebrietas nilq² pudoris habet.
Colligit ille scholas, diuini semina Verbi,
Dissipat iste scholas, dogmata falsa serens.
Ille docet Verum, mendacia seminat alter,
Diligit ille pios, odit at iste bonos.
Ille cupit saluos homines, defendit alitq³,
Iste cremat, perdit, fulmine, peste, fame.
Est huic relligio cura, pietasq³ fidesq³,
Huic scelus, impietas, frausq³ dolusq³ placent.
Insicit hic tetro fora, templa, scholasq³ veneno,
Huius & immunda plurima sorde madent.
Hic conflictus erit cœtum grauis inter vtrumq²,
Donec erit terris, nox nigra, clara dies.
Gratia, Christe tuo quod sit victoria regno
Quodq³ tuo vincat sanguine sancta cohors.
Nos pia splendentis defendant agmina cœtus,
Lucifugi turbas & procul hostis agant.
Cetera Fidlerus modulatur carmine grato,
Editus angelica cum sit in orbe die.

Christus inquit. Matt. 17.

Videte ne contemnatis vnum ex istis pusillis, Dico enim vobis quòd angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Qua sententia Christus docet. Non impunè contemni eos, quorū Angeli propinqui sunt ac familiares, vt vindictam exigant. Cauendum itaq; ne vilescat nobis eorum salus, quorum procurandæ Angelis munus est iniunctum.

EX SCHOLA ORDINIS
NOBILIVM CREMSII IIII.
Calendis Octobris.
M D LXIII.

UNIVERSITY OF CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

EX SCHOLA ORDINIS
MAGISTRI C. R. S. M. I. I.
C. R. S. M. I. I.
M. D. LXXII.

18416

2

